



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

41 Falsariorum nomine qui comprehendantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Thes. cas. conscient. eodem lib. 3. cap. 10. numer. 1. & 2.

41 † Sub nomine autem falsatorum hoc casu comprehenduntur, qui radunt veterem scripturam. Qui aliquid novi scribunt in litteris prædictis, qui secant, lavant, radunt, aut conglutinant papirum ad falsificationem earum. Qui Bullam plumbeam de veris litteris extrahunt, aut litteris falsis illam affigunt; facientes Bullas sub plumbo falsas; artifices, seu fabri Bullarum, qui illas alicui privato donant, aut vendunt, ad faciendas litteras falsas. Qui falsificant anulum Piscatoris, omnesque similia facientes, aut quorum auctoritate fiunt. Sayr. *eodem c. 10. nu. 10.*

Non tamen incurrunt hanc censuram falsificantes litteras congregationis Cardinalium Legatorum à latere, Nunciorum Apostolicorum, seu litteras Pænitentiarum, aut Episcoporum, Navar. *in eodem cap. 27. nu. 62.* Graff. *diç. c. 18. num. 96.* Tolet. *eodem c. 22. vers. primum est,* & Sayr. *eodem c. 10. nu. 9* quia illa non sunt litteræ Papæ, & ex diversis non fit illatio, *l. Papiianus exuli, ff. de minor.* graves tamen pœnas juris incurrunt.

42 Septimò † dictam excommunicationem incurrunt deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad infideles, & hæreticos in dânnum Catholicæ religionis, & certiores illos facientes de rebus ad rempublicam Christianam pertinentibus, *ut per eandem Bull. num. 7.* Navar. *diç. cap. 27. num. 63.* Quæ enim personæ in hanc censuram incurrant, & quæ ad infideles deferri prohibeantur plene scripsit Card. Tolet. *in eodem lib. instruct. sacerdot. c. 23. lib. 1.* Hæc autem prohibitio est antiqua de jure Cæsareo, quo prædicta committentes gra-

ves pœnas incurrunt, *ut l. cotem, ff. de publ. l. 1. C. quæ res export. non deb. & l. fin. C. de pœnit.* Jure quoque canonico etiam ab antiquo fuerunt præmissa prohibita, *ut in c. ita quorundam, c. quod olim, c. ad liberandum, de Iuda, & c. multa mentis, in extravag. com. eod. tit.* Sed hæc excommunicatio antiqui erat juris, non autem Bull. Cœn. ut per Tolet. *ubi supra c. 24. vers. tertio subministrantes.*

43 Octavò † in eandem excommunicationem incurrunt, impediendo eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt, vel ne ad Romanam curiam adducantur, seu afferantur, prohibent, impediunt, aut perturbant, *ut in eadem Bull. Cœn. Domini, num. 8.* Navar. *eodem c. 27. num. 64.* Et hoc est sacrilegium, quo offenditur Sedes Apostolica in suis victualibus, & in aliis ad usum curiæ Romanæ necessariis, ut post Cajet. *ver. excommunicatio, c. 19.* tenet Sayr. *in Thes. cas. consc. lib. 3. cap. 12. num. 2. tom. 1.* Extenditur enim dicta excommunicatio ad omnes etiam, qui Pontificali, vel Regali dignitate, aut aliqua qualicumque ecclesiastica, vel seculari fulgeant, ut inquit, Card. Tolet. *eodem lib. 1. cap. 25. vers. tertio eorum.* Non tamen comprehendit eos, qui actiones supra expressas faciunt, nisi id attentent animo impediendi, ne hæc ad Romanam curiam adducantur. Unde, si Gubernator alicujus civitatis consulens patriæ utilitati, & abundantia prohiberet, ne quis extraheret de civitate, aut Provincia fruges, quanvis inde sequeretur, quod ad curiam Romanam deferri non possent, vel tempore, quo pestis in curia grassaretur, inhiberet suis, ne quis iret ad curiam hujusmodi periculo durante, domum reversurus; exspoliantes aliquos